



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. Miranda conseruatio Nohæ est testimonium præsentiaë Dei in Ecclesia,
et certitudinis doctrinaë à Deo traditaë, & mirandæ conseruationis
Ecclesiaë omnibus temporibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

to corde, tota anima &c. Hæ commonefactiones ad locum de Ecclesia adiungantur.

III.

MIRANDA CONSER-
uatio Nohe in aquis.

Omnibus temporibus Ecclesia uelut Nauis in immenso mari seuissimis Tyrannidum, Hæresium, intestinorum certaminum & ingentium ærumnarum procellis iactatur. Sed tamen ut filius Dei Nohe nauiganti adsuit, sic semper Ecclesiæ suæ inter ingentium periculorum fluctus, dux & gubernator adest, nec nauas suos deleri sinit, ut ipse inquit, Ego uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi. Item, Non relinquam uos. Ac ut Sol hoc tempore anni circa brumam, etsi longissimè à nobis distare uideatur, tamen terræ proximus est, uidelicet in perigeo, Sic CHRISTVS Sol iusticiæ, qui ante annos 1553. die brumæ natus est, nunquam propius suæ Ecclesiæ adest, quàm cum longissimè ab ea discessisse uideatur. Huc omnia testimonia quæ de præsentia Dei in ærumnis concionantur, ex loco de Calamitatibus Ecclesiæ, referenda sunt.

TEXTVS.

Videntes filij Dei, filias hominum,
P 2 quod

quod essent pulchræ, acceperunt
ibi uxores.)

*Causæ diluuij numerantur, Vagæ libidines, Man-
bra ueræ Ecclesiæ seu filij sanctorum Patrum, qui
habebant initia fidei, & erant hæredes promissi-
onis, excussa fide, quaslibet sine ullo discrimine, nullas
ex posteritate impiorum Cainitarum in matrimo-
nium duxerunt, & uagis ac incestis libidinitibus
contaminarunt cum matribus, filiabus, sororibus, pu-
sculis & omnibus quas elegerant.*

Non iudicabit spiritus meus
homines perpetuò &c.

*Hoc est, Tollam ab hominibus ministerium uerbi
mei, per quod Spiritus sanctus iudicat, accusat, &
damnat peccata hominum, eosq; ad pœnitentiam con-
cat. Quia uideo meum ministerium, meum uerbum
& meipsum gygantæa audacia ab hominibus Episcopi-
reis contemni & derideri.*

*Est itaq; hoc dictum descriptio tristissimæ pe-
næ spiritualis, quæ pœnas corporum solet præcedere,
uidelicet priuationis ministerij Euangelici, in
Amos 9. dicitur, Mittam uobis famem audiendi uerbi
Dei.*

*Obseruent autem Studiosi hic ueram, uocabulo-
rum Iudicij & Spiritus, significationem.*

*Iudicium aliàs significat noticiam doctrinæ,
Psal. 119. Psal. 19. Iudicia Domini uera.*

Inter dicitur

Interdum tribunal seu locum in quo iudicia exercentur. Psal. 142. Non intres in iudicium.

3. Publicum officium iurisdicendi, docendi in Ecclesia, arguendi peccata &c. ut hoc loco, & Psal. 1.

4. Significat pœnam, ut 1. Cor. 11. 1. Pet. 4. Ioh. 5. Resurgent ad iudicium.

5. Cum opponitur furori, significat mitigationem pœnæ, ut Ierem. 10. Corripe me DOMINE in iudicio.

Vocabuli Spiritus significationes supra capite primo recitatae sunt. Hic simplicissimè intelligatur de Spiritu sancto per ministerium Euangelij arguente peccata, et inuitante homines ad pœnitentiam, ut dicitur Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum. Et Iohan. 5. Tres sunt qui testimonium perhibent in terra, spiritus, aqua & sanguis. Esai. 59. Spiritus meus qui est in te, & uerba mea &c.

Quia est caro.)

Vsitatissimæ Phrasæ sunt in Paulo, Ambulare secundum carnem, quod est manere in ignoratione & contemptu Dei, & ruere contra conscientiam. Ac in Paulo, & in hoc Genesis loco significat Caro totam naturam humanã sine Spiritu sancto ignaram Dei, & prophana securitate negligentem, contemnentem & deridentem Deum & uerbum Dei, & laxantem frenos omnibus cupiditatibus contra uoluntatem Dei.

P 5 Ambulare

Ambulare secundum Spiritum, est accepto spiritu sancto habere lucem fidei, & uera fide Deum inuocare, & Spiritu sancto reprimere uiciosos motus.

Eruntque dies illius centum uiginti annorum.)

Do eis 120 annos spacium poenitentiae, intra quod si non resipiscant, diluuium eos obruam.

Et si autem in quocumque lapsu singuli fuerint mortis aeternae, & iuste possent à Deo interfici, tamen immensa bonitas Dei differt poenas, ut spacium miseris ad emendationem seu conuersionem concedat, ut monet parabola de ficu Lucae 13. Et Paulus Rom. 2. Bonitas Dei ad poenitentiam te inuitat. Dilendum est autem tam tetram prauitatem esse in humana natura, ut hac ipsa dilatione, pro qua grauius agere debebat, confirmet multiplicem impietatem, lenius curet iudicium Dei, propterea quod dilantur poena, etiamsi mora ualde exigua est, sed δίκης ἄσπον. Sed lento gradu ad uindictam suam uina procedit ira & tarditatem supplicij grauius compensat, ἡρόνια μὲν τὰ ἄνω θεῶν ἐξ ἑτέρου οὐκ ἀδένη &c. ut Euripides ait.

Gygantes erant super terram.)

Homines Cyclopici, feri, immanes, propter incurritate contemnentes Deum & homines, laxatis frenos omnibus cupiditatibus, nulla uel Dei uel

nestorum hominum, uel æqui aut boni ratione habita. Talis apud Euripidem Cyclops describitur,

ὁ πλῆθος ἀνθρώπισκε τοῖς σοφοῖς θεός,
τὰ δ' ἄλλα κόμπηι καὶ λόγων ἐυμορφία,
ὄνδ' οἶδ' ὅτι Ζεὺς ἔσι ἐμῶ κρείσσων θεός.
ἢ γὰρ δ', ἀνάγκη κἄν θέλη κἄρ μὴ θέλη,
τίκτεσσα πόαρ, ταμὰ πιαίνει βοτᾶ.

Hinc orta est apud Poetas fabula de Gygantibus bellum caelo inferentibus. Tales nunc sunt Gygantes, Epicurei Pontifices & alij, qui deriso Deo & hominibus, omnis generis sceleribus & flagitijs se contaminant.

Potentes in seculo.) Id est, in mundo opprimentes alios imbecilliores, nihil æquo & iure, sed omnia ui & Tyrannide gerentes.

Viri famosi.) Id est, infames supra dictis sceleribus, Epicuræo contemptu Dei, oppressione imbecilliorum, & uagis libidimibus.

Pœnituit Deum, quod fecisset hominem, & tactus dolore cordis.)

Vox Pœnitere creberrimè in scriptura idem est, quod mutare rem presentem, ut Ier. 18. Si pœnitentiam egerit illa gens, agam & ego pœnitentiam de malo, quod cogitavi ut facerem ei. Psalm. 105. Pœnituit DEVM secundum multitudinem misericordiæ suæ, id est, mutauit calamitates. Ier. 26. Pœnitet me mali quod cogitavi facere. Psalm. 110. Non pœnitebit

P 4 eum,

eum, id est, non faciet irritum. Quare & huius
 simplicissima enarratio est, Poenituit Deum quod
 fecisset homines, id est, mutauit factum, seu perdidit
 homines, quos antea fecerat.

Erudita est & Lyrae explicatio, scribentis poenitentiam & similes affectus esse in Deo non secundum rem, nec secundum similitudinem, sed dici de Deo secundum similitudinem effectuum, scilicet quod producantur à Deo effectus similes effectibus à poenitente productis.

In scholis satis commode distinguunt inter voluntatem beneplaciti, quae est immutabilis, seu ipsa essentia Dei, de qua Psalm. 144. Rom. 9. Rom. 12. dicitur, & uoluntatem signi mutabilem, ut praecepta prohibitiones, promissiones Dei &c. ut disti. 45. prae sententiarum prolixius dicitur: Sic iram Dei dicunt usurpari pro signis externis, quibus iratus defenditur, sic poenitentiam pro mutatione & delectatione mundi.

Lutherus de doloribus in corde Noe à Spiritu sancto excitatis enarrat, ut in ipsius enarratione comparet.

Noe inuenit Gratiam, id est, habuit Deum bene uentem, placuit Deo, gratus seu acceptus fuit Deo. Apud Latinos fauor & Gratia habent se correlatiue, ut agens & patiens, sed Ebraei una uoce gratiam & Gratiam complectuntur. Ac in Paulo gratissimè gratia significat gratuitam acceptationem.

qua Deus immensa misericordia nos quanquam pol-
lutos, suo fauore & beneuolentia complectitur. Io-
han. 1. Luc. 1. Rom 5.6.

Vir iustus.) Id est, placens Deo, & acceptus ad
uitam eternam fide promissi Seminis, ut Ebr. 11. cla-
rè dicitur, iusticiæ fidei hæres factus est.

Perfectus.) המרים Id est, integer, non conta-
minatus cultu idolorum aut falsis opinionibus, aut
externis sceleribus contra Legem Dei, sed militans
bonam militiam, habens fidem & bonam conscien-
tiam. Non significat habentem omnes uirtutes &
omnium uirtutum summos gradus. Hec uera &
simplex explicatio ad multos alios locos intelligen-
dos prodest.

In generationibus suis.) Id est, inter homines
sui temporis.

Ambulauit cum Deo.) Doctrina & mores
eius congruebant cum uoluntate Dei, agebat causam
Dei in publico ministerio, ut Petrus 2. Pet. 2. uocat
eum præconem iusticiæ.

Corrupta est terra.) Id est, totus Mundus seu
omnes homines terram incolentes contemnebant
Deum, & flagitiosiss: omnibus cupiditatibus frenos
laxabant, & sceleribus se contammabant.

Finis uniuersæ carnis uenit coram me.) Id
est, decreui delere omnia uiuentia.

Iniquitate.) Id est, iniuria, fraude, rapina, ca-
lumnijs.

P § Arcam.)

Arcam.) Nauem.

Mansiunculas.) Id est, nidos & domunculas.

Cœnacula Tristega.) quæ tres contignationes habebant. Act. 20. Eutychus dormiens. Cœna

αὐτῆς τριῆς, id est, à tertia contignatione.

Spiritus uitæ.) Id est, uitalis.

SEPTIMUM CAPIT.

Proximè monui Historiam Diluuij, ideo præcipuè scriptam esse, ut extaret illustre testimonium ueræ, seriæ, horrendæ & inenarrabilis iræ Dei aduersus peccatum, cuius cogitatione singuli conuiscere, & ad Timorem Dei ac uitæ emendationem exuscitari debebamus. Sed tātus est stupor humanorum pectorum, tanta duricies, ut nec comminationibus diuinis, nec horribiliū pœnarum exemplis moueantur. Itaq; sibi cumulant iram in die iræ & reuelationis iusti iudicis Dei, qui reddet unicuique iuxta opera sua, Rom. 2.

Diluuium cœpit Anno Mundi 1656.

Hoc anno CHRISTI 1552. sunt anni à Diluuiio 3861.

Quinq; autem Diluua in historijs celebrantur. Primum, Nouimestre, quod totam terram obruit, cuius historiam hoc loco Moses descripsit, unde etiam